





VIRO  
SUMME REVERENDO, MAGNIFICO  
ATQVE EXCELLENTISSIMO,  
**DOMINO**  
**HENRICO**  
**PIPPINGIO,**  
S. S. THEOLOGIÆ DOCTORI  
EMINENTISSIMO,  
REGIO, ET ELECTORALI SAXO-  
NICO CONCIONATORI AULICO  
PRIMARIO,

AC

IN SUMMO SENATU ECCLESIASTICO  
ASSESSORI LONGE GRAVISSIMO,

PARTOS AUSPICATO HONORES, AC RELIQUAS  
DIGNITATUM ACCESSIONES  
OBSEQUIOSISSIME

GRATULATUR

**M. I. O. ADAM CALO,**  
ORD. PHIL. IN ACAD. VITEMB. ADJUNCTVS.

---

VITEMBERGAE,  
PRELO GERDESIANO.

# MAECENAS SVMME,



Vobis inter tot gratulantium plausus cultum  
TIBI meum profiteri, et uota pro perpetua  
Tua incolumitate nuncupare sustineam,  
mihi potius, ut spero, ignoscet, quam non  
optimam in partem interpretandum duces.  
Neque id enim uel quadam animi leuitate, uel inconsulta  
temeritate mihi sumo; sed deliberato maxime consilio,  
singularique religione, et obseruantia in Te mea commotus,  
et communio omnium gaudio de duplicitis dignitatibus,  
ejusdemque excellentissimae accessione perfusus. Cum  
autem eo TIBI nomine gratulari audeo, quod grauissimam  
SACRORUM in AULA REGIA ELECTORALI  
ANTISTITIS PRIMARII personam geras, summosque  
in Theologia honores, inuidente nemine, sis adeptus:  
tum eam etiam ob causam, quod summa cum dignitate  
summas, eminentissimasque possideas animi dotes, et,  
quae culmen illud, in quo emicas, non magis aequare,  
quam superare uideantur. Eas filere religioni mihi ducrem,  
nisi, quo minus multis praedicentur ambagibus, incredibilis  
Tua modestia, et incomparabilis animi Tui  
aequitas prohiberet. Itaque mihi suadeo, ne dignis in  
coelum laudibus efferam diuinam illam orationis uim,  
dicendique facultatem, qua audientium aures sic percili-

lis, ac inuitas, quemadmodum formosissimi, fragrantissimi  
mique flores prolectare oculos adspectantium consueuerunt. In Te, quisquis Te auscultat, magna illa Oratorum  
nomina: IESAIAS, IEREMIAS, BASILIOS, NAZIAN-  
ZENOS, CHRYSOSTOMOS, Ecclesiae redditos arbitra-  
tur, qui auditores nunc suauitate oris permulcebant,  
nunc, jaectis uerborum fulminibus, peruicaces percutie-  
bant. Lipsia uniuersa ab ore Tuo multos annos sic pe-  
pendit, ut, tanquam catenis, inde egressis, id quod de Pe-  
ricle memoratur, uincta traheretur. Quid dicam de do-  
ctrina Tua, deque sapientia cum primis coelesti, qua  
laude paucissimos pares, neminem superiorem habes.  
Quae enim ornamenta PAVLVS, Doctor ille gentium,  
in Episcopo depositus, quasue rerum diuinarum scientias  
Decessores Tui: MIRI, LYSERI, HOEI, VVELLERI,  
GEIERI, LVCII, GRENI, CARPZOVI, SELIGMANNI  
calluerunt, illae ad unam omnes in Te non insunt tan-  
tum, sed eminent etiam, caputque uelut altius extollunt.  
In conspectu jacent orbis literati, oculosque omnium fe-  
riunt tot Academicae Disputationes, tot libri, in lucem  
abs Te emissi, qui et meam longe excedunt commendationem, et non minori cum admiratione, quam utilitate  
cognoscuntur. Doctrinis ratio uitiae inculpata respondet,  
pietasque Coetui Christiano mirifice probatur. Monita  
enim diuinissima assiduis sanctimoniae exemplis confir-  
mas: quantoque ipse es major, tanto majora moris emen-  
datissimi documenta edis, quae cum abs Tuis auditori-  
bus, tum abs tot gregis Christiani pastoribus conspicien-  
tur. Vnde nihil rectius fieri poterat, quam ut Potentissimus  
REX, ac PRINCEPS ELECTOR, PATER PA-  
TRIAE Clementissimus, Tibi, VIR MAGNIFICE, pre-  
aliis,

aliis, quibus Saxonia abundat, Theologis, SACRORVM  
in AVLA REGIA ELECTORALI SAXONICA AN-  
TISTITIS PRIMARII splendidam prouinciam dari, de-  
ferrique mandaret, optime gnarus, talem Te esse, quo  
melior, dignior uix legi posset. Quae res sicut rei sacrae,  
Coetuique puriori multum spondet frugis, magnumque,  
in his praesertim Ecclesiae turbis, solatium pollicetur: ita  
inter beneficia aeterni NVMINIS maxima numerari, et  
deuotissima pariter, atque gratissima mente agnosci debet.  
Nec quisquam tam, opinor, fero, tamque impio erit ani-  
mo, quin id faciat, quin DEI immortalis tantam agnoscat  
benignitatem perinde, atque cultu animi religiosissimo  
prosequatur. Ego uero, VIR SVMME, in confertissima  
laetantium agmina me pro eo, ut debeo, ingero, iisque  
figillatim me adjungo, qui inter MAGNIFICENTIAE  
TVAE piissimos clientes nomina sua profitentur. Quan-  
tumque una cum iis de nouis, iisdemque summis honoris  
Tui incrementis gaudeo, tantum MAGNIFICENTIAE  
TVAE tanta bona, tantisque fortunas congratulatum  
uenio, DEV M immortalem persancte, religiosissimeque  
obtestans, Te, SVM ME REVERENDE MAECE-  
NAS, ut diu seruet, ut saluum, in columemque uelit, ut  
consilia Tua bono Ecclesiae suscepta, fausta, ac salu-  
taria esse jubeat. His fiet rebus, ut Ecclesia de eo sibi  
Praeside summopere gratuletur, qui, uigore animi, uigil-  
lantia, armisque sanctioribus instructus, de ueritate reli-  
gionis judicium ferat, turbae Socinianorum, Indiffe-  
rentistarum, Anabaptistarum, Fanaticorum, aliorum-  
que Antagonistarum obsistat: recte uero sentientes de-  
fendat acerrime, protegat, atque tueatur. Dabam  
Vitembergae, VI. Kalendas Maias, A. c<sup>lo</sup> I<sup>o</sup> cc IX.

Ung VI 3

10 18  
13 17



VIRO  
SUMME REVERENDO, MAGNIFICO  
ATOVE EXCELLENTISSIMO,

DOMINO  
HENRICO  
PINGIO,  
EOLOGIÆ DOCTORI  
MINENTISSIMO,

ELECTORALI SAXO-  
CONCIONATORI AULICO  
PRIMARIO,

AC

SENATU ECCLESIASTICO  
ORI LONGE GRAVISSIMO,

PICATO HONORES, AC RELIQUAS  
GNITATUM ACCESIONES  
OBSEQUIOSISSIME

GRATULATUR

O. ADAM CALO,  
PHIL. IN ACAD. VITEMB. ADJUNCTVS.

VITEMBERGAE,  
PRELO GERDESIANO.

